



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 7. De piscibus subterraneis emendati Senecæ loci duo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

vitare possint. At in rebus desperatis nemo confidit. Immo verò ita spualitur metus, vt omni spe adempta plerumque in audaciam transeat. Idque in extremis periculum adductis sæpe salutis fuit. Hac de re dictum Hecatonis commemorat Seneca: *Desines timere si sperare desieris.* Cui ipse postea addit: *Dices, quomodo ista tam diuersa pariter sunt? Ita est, mi Lucili. cum res deantur disidere, coniuncta sunt. Quemadmodum eadem catena & custodem & militem copulat: sic ista, quas tu dissimilia sunt, pariter incedunt.* Sed in his postremo verbis omnes editiones deprauatae sunt. Non enim *custodem*, legendum est, sed *custodiam*. Vocatur autem custodias reos ipsos, qui sub custodia erant, vt alibi: *Cum adueheretur inter custodias quidam ad matutinum spectaculum missus.* Et sæpe ita accipitur hoc nomen in libris iuris ciuilis. Dabantur autem fere militibus custodiendi.

De piscibus subterraneis emendati Seneca loci duo.

CAPV. VII.

IMMENSAM quandam aquarum vim in subterraneis specubus latere philosophi tradunt, quae etiam interdum erumpant, secumque magnam piscium multitudinem efferant. Ceterum pisces illos, vt in tenebris saginatos, tum aspectu deformes atque horridos, tum gustatu noxios ac mortiferos esse. In Caria quidem cum id aliquando contigisset, quicunque illos ederant pisces, omnes ad vnum periisse, huiusmodi monumentis proditum est. Sed quam ad verum id contigisse Seneca dicit, is enim huius historiae auctor est, eius urbis nomen ita in libris ipsius corruptum circumfertur, vt sine veterum librorum ope verum quispiam, non dicam ad verum peruenire, sed de mendo

modo suspicari queat. *Circum Myndum enim Caria*
vnum id euenisse in vulgatis libris legas. Ego olim li-
 brum veterem habui, quem postea clarissimo, & cum
 incredibili omnigenæ eruditionis copia, tum virtute
 æque integritate præstanti viro Vincentio Lauro epî-
 scopo Montisdiuinitis dono dedi: quo in libro scriptum
 erat *factum id in Caria circa Iotuma urbem*. Ex qua leui-
 ter deprauata scriptura facillè conieci legendum esse,
 circa *Loruma urbem*. Nam & in epitoma Stephani De
 urbibus nominatur, *Λόρυμα πόλις καρίας*: & à Strabo
 libro XIII. & à Ptolemæo libro quinto, & à Pli-
 nio, & à Mela, nisi quod apud hunc librariorum vi-
 tium, *Latumna*, non *Loruma* legitur. Emendabo & alium
 ex eodem libro locum, quem omnes vsque in hunc
 diem aliquot vocibus mancum ac mytilum edide-
 runt. Vbi enim narrat Seneca quosdam flumios pa-
 lam in specum aliquem decidere, & terra absorbe-
 ri, deinde in remotissimis locis exire, cursumque ac
 nomen suum repetere: cum id de Lyco amne expo-
 sisset Ouidij versibus, subiungit; *Idem & in oriente*
Tigris facit: absorbetur & desideratus diu, tandem longè
remoto loco purgamenta eiecit, vt Arethusa in Sicilia
quinta quaque æstate per Olympia.

De Arimaspiis, cur dicti sint vnum tantum oculum habere:
nem de populis, apud quos pueri oblongo capite
nascuntur.

CAP. VIII.

HOMINES esse quosdam in Scythia tradide-
 runt ex antiquis nonnulli, qui vnum tantum in
 media fronte oculum habent. *Arimaspiis* nomen est,
 quos & Æschylus ex eo *μονόπαις* vocat. Ipsum quoque
Arimasporum nomen ex re illis inditum putant.
 Scythica enim lingua *ari* vnum esse: *maspon* oculum.
 Sed

Myndum
 Lektionen
 10
 28